

I

**MOTU PROPRIO**

**DE ROTA NUNTIATURAE APOSTOLICAE IN**

**HISPANIA DENUO CONSTITUENDA**

PIUS PP. XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolico Hispaniarum Nuntio constat iam a saeculo XVI a Summis Pontificibus singulare privilegium collatum fuisse ecclesiasticas causas cognoscendi et terminandi. Quod pervetustum tribunal per Apostolicam Constitutionem *Administrandae Iustitiae*, die 26 martii 1771 a Clemente Pp. XIV latam, novam ordinationem et nomen nactum est Rotae Nuntiatu-  
rae.

Quae Rota Apostolicae Nuntiatu-  
rae, a civitate plene recognita ac sus-  
tentata, iudicibus ex variis catholicae nationis Hispanicae provinciis aequae  
delectis, quorum plures magnam assecuti sunt famam, diu vixit et floruit.

Lamentabilis autem rerum publicarum perturbatio, qua paucis abhinc et  
sollemniter cum Sancta Sede conventio abrupta est, et sacramentalis natura  
matrimonii denegata, et sacra quaeque pessumdata, fecit ut ipsa Rota sub-  
verteretur. Quare decessor Noster Pius Pp. XI fel. rec., die 21 iunii 1932,  
Rotam Nuntiatu-  
rae Apostolicae in Hispania iure suppressit.

Nunc vero, cum eiusmodi incommoda remota sint atque sacramentalis  
matrimonii natura iterum agnita, complurium Hispaniae Antistitum nec  
non publicae rei Moderatorum votis obsecundare cupientes, denuo consti-  
tuendam censuimus Rotam Nuntiatu-  
rae Apostolicae, tribunal mere eccle-  
siasticum pro causis ecclesiasticis ad tramitem iuris canonici agendis, eam-  
que praesentibus litteris constituimus atque sequentes normas vim legis  
habitu-  
ras eidem tribuimus, nostri temporis condicionibus opportune accom-  
modatas :